



## **Crisis Theologica**

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,  
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi  
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

**Casnedi, Carlo Antonio**

**Ulyssipone, M.DCCXI**

§. I. Opiniones Theologorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

concretorum; tūm quia non considerant, quod nos solemus tales vocare res, quales nobis apparent, non quales sunt, cum vix evidentiam habeamus; ita quod nobis apparet verum, & probabile, dicimus verum, & probabile; quidquid sit an revera tale sit in re; quare dum quærimus, an Papa possit declarare falsum, quod est verum, idem est, ac dicere, quod nobis apparet verum; ita hic, an Papa possit declarare improbabile, quod est intrinsecè probabile, idem est, ac quod nobis prudenter, & cum magnâ verolimitudine apparet probabile.

N. 88. Initas ex P. Eliz. lib. 2. quest. 6. §. 5. numquam à Papâ vetitam fuisse doctrinam aliam, quâ fuit regula morum; ergo si vetita fuit, non fuit regula morum. Solemne equivocum, contra quod plura P. Teril. quest. 27. de regulâ morum; alia enim est regula morum per se, alia per accedens; regula morum per se numquam à Papâ damnata fuit, quia regula morum per se est, quæ est conformis sapientiæ Dei, & veritati, ut est in se; regula morum per accedens est, quæ est iisdem conformis, ut nobis apparet; hæc autem sapè damnata fuit, ut patet in omni opinione creditâ ante damnationem certò probabili practicè.

N. 89. An autem ad probabilitatem opinionis requiratur ut non sit ipsa contra Scripturam, aut Ecclesiæ decreta, ut docet P. Thyrsus in Fundam. Theol. Mor. diff. 1. §. 4. n. 24. de hoc infra. Nunc dico, quod si Divina Scriptura, & similes regulæ infallibiles sint invincibiliter ignoratæ, & inter T. T. incertæ, & opinio habeat pro se fundamentum grave, utique erit probabilis, ut patet inductione; plurimæ enim sunt opiniones Theologicæ utrimque probabiles, & tamen cum sint circa Scripturam, & inter se contradictoriæ, licet una tantum sit vera, & altera sit re ipsa contra Scripturam, quia tamen hæc invincibiliter ignoratur, adhuc utraque est probabilis, si utraque nititur fundamento gravi; alias quoties DD. T. T. discrepant circa Scripturam, alterutra Schola Thomistica, vel Scotistica diceret improbabilia, quod nemo cordatus dicit: ergo potest opinio esse re ipsa contra decretum Papæ, Concilium, vel Scripturam, & esse revera certo probabilis, dummodo regulæ illæ invincibiliter ignorentur, & opinio habeat fundamentum grave; quod si regulæ illæ certò consent, tunc opinio erit certò improbabilis, ut dixi. P. Thyrsus confundit probabilitatem cum veritate, quæ valde distant, ut alibi.

## S E C T I O IV.

De reflexâ infallibilitatis Pontificia certitudine.

## §. I.

Opiniones Theologorum.

## S U M M A R I U M.

Decreta Alexand. VII. & VIII. & Innoc. XI. & Urban. VIII. & Clem. VIII. sunt declarativa, & legislativa, n. 90.

Qualiter certum sit Papam in materiâ fidei, morum, & censuris errare non posse, ibid.

Mens Doctorum, n. 91. 92.

Quid propositio hæretica, hæresi proxima, erronea, errori proxima? n. 93.

Unde sciri possit, an aliquid sit de fide? n. 94.

Contra fidem tam per defectum, quam per excessum peccatur, ibid.

Omnes docent infallibilitatem Papæ esse certam, n. 95.

Inui, quod decretum utriusque Alexandri, & Innocentij XI. (idem dico de decretis Clementis VIII. & Urbani VIII.) est declarativum simul, & legislativum. Declarativum, quia declarat scandalum inesse saltem opinionibus à se damnatis. Legislativum, quia prohibet eas doceri, & defendi, de quo infra. Cum autem docuerim certum esse Papam loquentem toti Ecclesiæ in materiâ fidei, morum, aut censuris ferendis, errare non posse, modo quæritur, quâ certitudine certum sit Papam loquentem ex Cathedra in materiâ fidei, morum, & censuris errare non posse; an, inquam, sit certum certitudine fidei, ita ut de fide sit infallibilitas Papæ in materiâ fidei, morum, & censuris, an certum tantum sit certitudine inferiori, ita ut eadem infallibilitas Papæ, sit tantum, in materiâ fidei, morum, & censuris, moraliter, aut Theologicè certa.

Esse de fide Papam non posse errare in materiâ fidei, docet P. Suar. diff. 5. de Fide §. 1. sect. 8. n. 1. M. Cano lib. 6. de Locis, Caram. lib. 1. Theol. Mor. Fund. n. 249. Herinx tom. 3. d. 6. n. 73. P. Molina tom. 2. de Justitiâ d. 325. P. Palao tom. 1. tr. 4. d. 1. p. 5. §. 2. n. 6. P. Moya, tom. 1. tr. 3. d. 6. quest. 5. & d. P. Pal. 8. quest. 6. n. 22. M. Joan. de Neapoli. quodlib. 11. S. Antoninus, Diana, & omnes qui asserunt esse de fide non posse errare in materiâ morum, vel qualificatione propositionum.

At P. Gasp. Hurt. d. 11. diff. 15. ait esse falsum ita certum, ut oppositum sit ad minus temerarium, licet non sit de fide. C. Bellarm. lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 2. ait, oppositum esse hæresi proximum. Exc. Rocaberti tom. 1. lib.

1. lib. 1. pag. 6. n. 38. ait, nihil deficere opinioni affirmativæ, ut tamquam Catholica negativæ, ut tamquam hæretica, definiri possit, atque adeo indicat non esse de fide, licet sit proximè definibilis de fide hæc infallibilitas. M. Gr. Gravina tom. 4. p. 2. pag. 70. ait se præscindere, an negare talem infallibilitatem, sit hæresis. Idem ait Neuff. in Polyanthea d. 1. quest. 9. n. 33. et si certissimum putet.

M. Gr.

Neuff.

M. Ban.

M. Gr.

M. Can.

S. Anton.

Jo. de

Nea.

Malder.

P. Mol.

P. Suar.

Diana.

P. Moya.

M. Joa.

à S. Th.

C. de

Lugo.

P. Car-

denas.

Her.

P. Kon.

P. Lessi.

P. Mo-

ya.

Filguei.

P. de la

Fuente.

M. Go-

doy.

Esse de fide Papam in materiâ morum errare non posse, docet M. Bannez 2.2. quest. 10. art. 1. quem citat, & sequitur Gravin. 2. p. tom. 2. pag. 290. M. Canus, S. Antoninus, Joan. à Neapoli, Malder. P. Mol. P. Suar. P. Palao loc. cit. §. 3. num. 4. Diana, P. Moya ll. cc. M. Joan. à S. Th. 2.2. quest. 1. d. 9. pag. 769.

At alij dicunt esse erroneum, aut hæresi proximum hoc negare. Ita P. G. Hurt. l. c. P. Turria. 2.2. d. 55. dub. 5. C. de Lugo d. 20. de Fide, n. 109. P. Card. tom. 4. disp. 1. n. 133.

Esse de fide Papam in qualificatione propositionum, & earum censuris errare non posse, tradit Mald. quest. 11. art. 2. Her. tom. 3. d. 9. n. 98. P. Konig. disp. 18. n. 134. P. Lessius lib. 2. de Just. cap. 20. n. 19. Joan. à S. Thom. l. c. P. Moya tom. 1. tr. 3. disp. 6. quest. 5. §. 5. n. 44.

At alij dicunt esse ita certum, ut oppositum ad minimum sit erroneum, vel errori proximum. Ita Ban. quest. 11. art. 2. in fine, C. de Lugo l. c. n. 109. P. Turri. d. 55. de Fide dub. 5. Filgu. pag. 56. P. de la Fuente disp. 1. n. 88. & 93.

Nequeo necessariâ claritate in hac reflexâ questione procedere nisi prius aliqua præmittam. Primum est, quid sit propositio hæretica, hæresi proxima, erronea, errori proxima; hæc enim sunt censuræ, quibus a Theologis inuritur sententia negans Papæ infallibilitatem in materiâ fidei, morum, & qualificatione propositionum. Adhærebo autem communi earum censurarum expositioni. Propositio hæretica est, cujus contradictoria est de fide, seu est Catholica; potest autem (inquit M. Godoy tom. 2. in 3. p. d. 22. n. 4.) propositio aliqua esse vel immediatè, vel mediatè de fide; ea est immediatè de fide, quæ immediatè continetur in Scripturâ, Concilijs, Pontificum declarationibus, aut in aliqua Traditione; ea est mediatè de fide, quæ ex aliquo dictorum per evidentem consequentiam inferitur, & dicitur conclusio Theologica. Hæresi proxima est, cujus contradictoria cõfetur à plerisque de fide. Erronea est, cujus contradictoria non est quidem

immediatè de fide, est tamen cõclusio Theologica, quæ negari non potest nisi negatè, 93. vel unâ præmissâ evidenti, vel unâ de fide, ex quibus ea conclusio Theologica inferitur. Errori proxima est, cujus contradictoria cõfetur à plerisque conclusio Theologica. Hinc est quod qui dicunt, negantem Papæ infallibilitatem in doctrinâ fidei, morum, & censuris, esse hæreticum, eo ipso dicunt infallibilitatem esse de fide, nam implicat ut negans sit Hæreticus, & affirmans, non sit Catholicus. Qui autem dicunt, negantem Pontifici eam infallibilitatem, dicturum quid hæresi proximum, eo ipso dicunt, esse quasi de fide eam infallibilitatem; si enim una ex contradictorijs est hæresi proxima, ejus opposita est quasi de fide. Qui denique dicunt, negantem Pontifici infallibilitatem, dicturum quid erroneum, aut errori proximum, eo ipso dicunt, esse tantum Theologicè certum Papam gaudere eâ infallibilitate; si enim una est erronea, contradictoria est conclusio Theologica; & si una est errori proxima, ejus contradictoria est quasi conclusio Theologica.

Secundum est, quomodo deprehendi possit, an quid sit de fide definitum, ita ut oppositum sit hæreticum? Dico autem primò cum M. Godoy l. c. num. 19. Cano lib. 12. de Locis Theologicis cap. 7. præcepto 8. quod quoties communis Patrum, & T. T. consensus conspirat in unam veritatem, ut indubitatam, & in Scripturâ contentam, toties ea veritas est de fide. Secundò cum M. Gravin. 2. p. tom. 4. pag. 153. si oppositum damnatur ut hæreticum, definitum est de fide, & si propositio est expressè, & immediatè revelata, ejus opposita est hæretica, ex naturâ contradictoriorum: si autem evidenter, mediatè tamen, inferatur ex revelatis, est quasi de fide, & ejus opposita quasi hæretica. Tertiò: quoties opinio damnatur anathematè, est hæretica, non ita si excommunicatione, ut rectè Gravin; de quo infra, ubi an decretum sit ex Cathedrâ. Hoc tamen notandum ex Durando in Prefatione ad Commentarios Magistri Sententiarum dicente: Dicit Apostolus Rom. 12. non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & unicuique sicut Deus dividit mensuram fidei; quæ quidem mensura in duobus consistit, videlicet, ut non subtrahatur fidei, quod sub fide est, nec attribuat fidei, quod sub fide non est: utroque enim modo mensura fidei exceditur. Hæc Durandus egregiè, innuens regulam fidei sitam esse inter excessum, & defectum. Idem ait Alphons. de Castro lib. 1. contra Hæreses Cast. ro. cap. 7. & ex illis Em. Aguirre tom. 3. in S. C. Agui. Anselm.

M. God.

M. Can.

M. Gra-

vina.

M. Dur.

Anselm. d. 115. n. 70. Similiter noto ex M. Godoy tom. 2. in 3. p. d. 19. n. 51. quod licet rationes, quibus Concilia, imò Papæ utuntur ad aliquid definiendum, non sint de fide, sunt tamen magnæ autoritatis.

N. Tertium est: Licet omnes T. T. conveniant in affirmando, certum esse Papam in doctrinâ fidei, morum, & censuris esse infallibilem, & differant in specie certitudinis, omnes tamen, sive asserant eam infallibilitatem esse de fide, sive negent esse de fide, conveniunt in hoc: quod si Papa id, quod definit, dicat esse de fide, volunt definitum esse de fide; & si tamquam certum, credendum esse ut certum. Ita P. Gasp. Hurt. d. 11. diff. 15.

P. Gasp. Hurt.

## §. II.

Propria opinio.

## S U M M A R I U M.

Est de fide Papam in materiâ fidei esse infallibilem, n. 96.

An etiam in materiâ morum? n. 97.

Definitio Papæ dicitur vox Dei, n. 98.

Concilium sumit a Papâ firmitatem, non e contra, n. 100.

S. Th. ait, quod aliqua opinio videri potest uni, non alteri, hæretica. Inductio, n. 101.

Ecclesia etiam in materiâ morum est columna veritatis, ibid.

Papæ infallibilitas in censuris, n. 102.

Gravius peccat, qui damnatam a Papâ, ut scandalosam, negat esse talem, quam qui negat esse falsam, n. 104.

An negans esse scandalosam, esset hæreticus, n. 105.

Infallibilitas Papæ in censuris, Canonizatione, &c. n. 106. 107.

N. 96. Prima conclusio: Certum est, esse de fide, quod Papa docens Ecclesiam sit infallibilis in materiâ fidei.

N. 97. Secunda: Probabilis est, esse de fide, quod Papa docens Ecclesiam in materiâ morum, & in censuris opinionum sit infallibilis; adeoque qui opinionem damnatam a Papâ, ex. gr. ut scandalosam, negaret esse talem, esset probabilis hæreticus juxta T. T. citatos n. 92.

N. 98. Prima conclusio probatur à P. Card. n. 127. quia implicat ut Ecclesia credat tamquam articulum fidei, quod Papa definit, & nō credat tamquam articulum fidei, Papam in eâ materiâ non posse errare. Verum hæc ratio, nisi valde hallucinor, me non convincit; ut enim omnes Catholici credunt tãquam articulum fidei illa, quæ per motiva credibilitatis manifestantur, ut à Deo revelata, & tamen non credunt tamquam articulum fidei ipsa

motiva credibilitatis; quod multò magis patet in rusticis credente tamquam articulum fidei id, quod Parochus proponit, ut dictum à Deo, nec tamen rusticus credit fide Divinâ ipsam Parochi propositionem; ita posset quis dicere, quod id, quod Papa proponit, est de fide, & creditur tamquam fidei articulus; non tamen est de fide Papæ propositio, nec creditur tamquam fidei articulus.

Quare primam conclusionem ego ita propono. Quod evidenter in Scripturâ continetur, 99. ut dictum à Deo, est de fide: sed quod Papa non possit errare in materiâ fidei, continetur in Scripturâ: ergo est de fide infallibilitas Papæ in materiâ fidei. Maior est indubitata, ut dixi in præmonitionibus, & potest videri Grav. 2. p. tom. 4. quest. 2. art. 14. Minor probatur, omnis alijs Scripturæ, Patrum, & Conciliorum locis, & Theologorum super ea reflexionibus. Est de fide quod Petri fides, atque adeo Petri Successorum, in his enim Petrus loquitur; ut enim per Petrum locutus est Christus D. ita per Petri Successores loquitur Petrus, & Christus D. & ita in Concilio Chalcedonenfi, vox Leonis Papæ dicitur vox Petri, Petrus per Leonem ita locutus est; & in sextâ Synodo Constantinopolitana dicitur Charta, & atramentum videbatur Christi D. & per Agathonem Petrus loquebatur: immò ab Adriano Papâ in Epistola ad Imperatorem Basilium, Papæ definitio vocatur vox Dei; de quibus Gravina pag. 61.

M. Gr.

& Rocaberti tom. 1. lib. 1. Est, inquam, de fide quod Petri, & Successorum fides non deficiet, nam Luc. 22. dicitur, Rogavi pro te (alloquitur Petrum, & in Petro Successores, ut omnia Concilia, PP. & T. T. supponunt) ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos: ergo est de fide in Petro, & Successoribus non defecturam fidem, sed tantam habituros fidem, ut fratres, seu Fideles Papæ subiectos possint in eâ confirmare: ergo est de fide infallibilitas Papæ in materiâ fidei, dum docet Ecclesiam, alias deficeret fides in eo, si posset errare. Brevius, si una propositio est hæretica, opposita est de fide: sed est hæreticum dicere fidem Petri, & Successorum defecturam; est enim contradictoria textui citato, & credendo: ergo est de fide non defecturam: ergo est de fide non posse errare. Idem evincitur ex Apostolo vocante Ecclesiam columnam veritatis; est autem columna fundata supra petram, à quâ sumit suam firmitatem, & ideo toto cælo errant, qui docent, Papam sine Concilio posse errare, quasi Papæ definitiones sumerent firmitatem à Concilio, & non potius Concilia, & Ecclesia acciperent à Papâ

M. Gr. Rocab.

N. 100.